

momenti, quæ tamen ipsius Doctores diligentissimè spectant, ac contemplantur? porro etiamsi remota quædam suspicio animos Medicorum pulsaret, aliquid in Natura esse, quod æquabilem humani corporis Oeconomiam turbare, atque immutare posset, multisque morbis aut causam, aut remedium præbere; hoc ædepol! satis esset, ut eam ad rem oculos, mentemque converterent, ejusque cognoscendæ causa nihil intentatum relinquerent. Cum itaque non vana, neque longius accersita suspicio, sed evidens ferme demonstratio certum, ut reor, faciat, corpora humana a corporibus cœlestibus pro ipsorum motuum varietate vehementer concuti, diversisque affe-